

*naturali*: quia fuisse beatos beatitudine naturali est expressa sententia D. Thomæ loco citato. Cuius ratione probatur: nam perfectissima creaturæ debetur perfectissima perfectio intra ordinem naturæ; sed Angelus est perfectissima creatura, nec potest produci alia superior in immaterialitate formalis: ergo ei debetur perfectissima perfectio naturalis inter creatas; sed hæc est beatitudo naturalis; sicut inter res supernaturales beatitudo supernaturalis: ergo beatitudo naturalis est Angelis debita; sed perfectio exacta à natura Angelica debetur ei ratione suæ immaterialitatis in primo instanti suæ productionis: ergo fuit beatus beatitudine naturali in primo instanti suæ productionis.

Confirmatur *primò*: Nam consummata perfectio naturalis naturæ intellectualis consistit in perfecta coniunctione illius cum primo principio, & ultimo fine naturali per intellectum, & voluntatem, sicut de perfectione & beatitudine supernaturali in suo tractatu solet dici; sed hæc perfectio Angelo debetur, cum gaudeat tertio illo gradu immaterialitatis sæpe in hoc Opere repetito, ratione cuius peccat esse semper in actuali cognitione sui, & Dei: auctoris naturalis: ergo.

Confirmatur *secundò*: Nam beatitudo naturalis debet consistere in perfectissima operatione eiusdem ordinis; sed Angelus in primo suæ productionis instanti habuit perfectissimam operationem ordinis naturalis: ergo à principio suæ productionis fuit beatus beatitudine naturali. Maior (præterquam quod expresse traditur ab Arist. & Div. Thomæ, & admittitur à Theologis & Philosophis) satis constat à paritate beatitudinis supernaturalis. Minor verò probatur: nam hæc perfectissima operatio est cognitio perfectior, quæ de Deo auctore naturali haberi potest, & amor ipsius naturalis; sed has operationes Angelus habuit à principio sui esse, cum sit totaliter necessitatus ad eas, ut vidimus dub. 1. ergo.

45 Sed obijciens *primò*: Nam Angelus inferior non habuit cognitionem & amorem perfectissimum naturalem Dei, cum Angelus superior perfectius illum intelligat & amet: idemque dicendum n. est de Angelo supremo existenti, cum sit possibilis alius perfectior: ergo si in cognitione perfectissima Dei consistit beatitudo, sequitur, quod Angelus non fuit beatus beatitudine naturali.

Sed hæc obiectio debilissima est. Nam perfectior est visio clara Dei, quam habuit anima Christi; & non propterea alij beati desinunt esse beati beatitudine supernaturali & perfecta. Item beatitudo naturalis debet consistere in cognitione & amore naturali perfectiori, quem Angelus potest habere. Angelus autem inferior non potest aliam cognitionem & amorem naturalem Dei habere præter eum, quem defecto habet.

Vnde vel concedendum est beatitudinem naturalem esse ei impossibilem, vel fatendum est illam habuisse à primo instanti suæ conditionis.

46 Sed dices: Angelo inferiori adhuc est possibilis alia cognitio naturalis Dei perfectior; quam cognitio necessaria illius; sed hæc vel non habuit à principio suæ creationis, vel potuit illam non habere, & sic nobis non constat illam habuisse: ergo. Maior probatur: nam cognitio Dei, quam Angelus potest habere per comprehensionem totius univervi; perfectior est ea, quam habuit præcisè per suam substantiam; sed illam, ut potest liberam, non habuit à primo instanti, vel saltem nobis non constat illam habuisse, cum possit illam non habere: ergo.

Respondetur, beatitudinem naturalem non consistere in quacunque operatione perfectiori, sed in ea, quæ est simul necessaria & inamissibilis, omnia enim hæc sunt de conceptu beatitudinis naturalis & supernaturalis. Illa autem cognitio perfectior, quam Angelus de Deo potest habere, quæque excedit cognitionem habitam præcisè per suam substantiam, non est inamissibilis, cum sit totaliter libera, ut replica supponit. Unde non in hac, sed in illa debet consistere.

47 Sed replicabis: Nam si Angelus à principio suæ creationis ex vi illius habuit suam beatitudinem naturalem, quia fuit creatus cum omni perfectione sibi debita, fieret inde, quod etiam homo esset beatus, quia etiam est creatus cum omnibus perfectionibus sibi debitis, non dicitur, quod Deus fuit diminutus in perfectione illius; hoc esse falsum ipsa experientia testante: ergo.

Respondetur cum D. Thomæ loco citato, ubi sic ait: *Sic igitur dicendum, quod quantum ad primam beatitudinem, quam Angelus affectu virtutis sue naturæ potuit, fuit creatus beatus. Quia perfectionem huiusmodi Angelus non acquirit per aliquem motum discursum, sicut homo.* Cuius discrimen patebit ex solutione sequenti.

48 Respondetur *secundò* illi primæ objectioni adductæ num. 45. quod licet Angelus superior perfectius cognoscat Deum auctorem naturæ; quam Angelus inferior, hic excessus solum est materialis, non formalis, cum conveniant in eodem gradu formalis immaterialitatis. Cumque aliis Angelus inferior non possit habere illam individualement cognitionem, quam superior Angelus habet per suam substantiam, inde est, quod in cognitione naturali Dei, quam quilibet Angelus habet per suam substantiam, consistit sua beatitudo naturalis; hæc habuit Angelus à primo instanti sui esse: ergo & beatitudinem naturalem. Aliter contingit in homine, qui gaudet inferiori gradu immaterialitatis; ut sæpe diximus, nec in hoc statu potest cog-

cognoscere Deum per suam substantiam, quando verò acquirit homo suam beatitudinem naturalem; non pertinet ad præsentem locum discutere. Videatur nihilominus N. Salm. in tract. 9. disp. vltima per totam.

49 Obijciens *secundò*: Nam de ratione beatitudinis naturalis maxime Angeli est inamissibilitas; sed demones illum non habent: ergo nec illum unquam habuerunt. Idemque dicendum est de bonis, cum sint æquales in prima conditione suæ productionis.

Ad hanc objectionem respondetur, quod beatitudo naturalis potest considerari dupliciter. Vel in esse physico, vel in esse morali. In esse physico dicitur eritatem physicam prædictorum actuum: in esse morali dicitur illos, ut ordinatos ad finem supernaturalem. Est tamen hæc differentia, quod in huiusmodi actibus primo modo sumptis consistit beatitudo quoad substantiam, sed in esse beatitudinis consistit in illis secundo modo acceptis. Igitur omnes Angeli habuerunt in primo instanti suæ productionis illos actus secundum utranque considerationem, ideoque fuerunt beati beatitudine naturali utroque modo accepta, quia ordinati fuerunt ad finem supernaturalem. Ceterum quia in demonibus defuit prædicta ordinatio in secundo instanti, impeditaque fuit per peccatum, inde est, quod non fuit in illis beatitudo in esse beatitudinis, non tamen defuerunt quoad substantiam, seu in esse physico actuum, cum sint necessarii quoad exercitium, ut supra vidimus. Nec inconvenienti deficiere in esse morali, dummodo non deficiat in esse physico: quia est hoc sit contra rationem beatitudinis simpliciter talis, & absolute vltima, qualis est vltima supernaturalis, fecas verò contra rationem beatitudinis secundum quid, & in illam libere ordinabilis, qualis est beatitudo naturalis.

50 Diximus etiam supra num. 44. vltima, & perfecta: nam si sermo sit de beatitudine supernaturali imperfecta, qualis est beatitudo, quam in via habere possumus, & quæ consistit vel in actu fidei, aut alterius doni supernaturalis, vel in actu charitatis, ut tradunt N. Salm. cum omnibus Theologis tract. 9. dub. 1. append. ad secundam disput. proculdubio illam habuerunt in primo suæ conditionis instanti: quia hos actus perfecte elicuerunt, ut omnes fatentur.

Restat verò probare nostram suppositionem: Nam si Angelus ab initio suæ creationis fuisset beatus beatitudine vltima & consummata, nullus postea posset peccare, neque beatitudinem unquam amisisset; sed plures Angeli defecto peccavere, & consequenter beatitudinem hanc non habuerunt: ergo nullus fuit beatus beatitudine vltima & consummata. Maior probatur: nam beatitudo vltima supernaturalis, quæ consistit in clara visione Dei, reddit bea-

tum ab intrinseco impeccabilem, & impotentem amittere gratiam & beatitudinem per peccatum propriæ voluntatis: ergo nullus Angelus posset in secundo instanti peccare.

51 Supponendum est *secundò* Angelum non peccasse in primo instanti suæ creationis. Hæc suppositio constat ex illo Iudæ Apost. 1. ubi dicitur: *Angelos, qui non servaverant suum principatum, sed reliquerunt suum domicilium.* Et ex illo Ezech. 28. ubi de Luciferò ait: *Perfectus in vijs tuis à die conditionis tue.* Hæc etiam fuit perpetua sententia Patrum, & Conciliorum: & propterea D. Thomas in hac 1. part. quest. 64. art. 5. ait de opinione contraria: *Ideo à Magistris hæc opinio tanquam erronea rationabiliter reprobat est.*

Quibus suppositis: videndum superest, an Angelus de potentia Dei absoluta potuerit peccare. Duplex est præcipua sententia. Prima est affirmativa, quam tenent Scotus in 2. dist. 5. quest. 2. Aureolus dist. 4. art. 2. & 3. OKam quodlib. 2. quest. 6. Bachon. 2. dist. 23. art. 3. quos sequuntur Scotista, Nominales, Bachonista, & communiter Recentiores Societatis. His subscribit Suarez lib. 1. cap. 2. & Tannerus hic, quatenus docent, Angelum posse peccare physice, licet non moraliter.

Secunda est negativa. Hanc defendit Div. Thomas 1. part. quest. 63. art. 5. & cum eo omnes Thomistæ, quos supervacaneum est recensere. Hanc eandem sententiam docent D. Bonnav. in 2. dist. 3. part. 2. art. 1. Hago Victor. Alenus, Henricus, Durandus, & Agidius: Et ex Societate Granados, Arrubal, & Turrianus.

## §. II.

## Prelatio sententiæ Thomistice.

52 Dicendum est, implicare contradictionem, quod Angelus peccet in primo instanti suæ creationis. Et probatur ratione D. Thomæ loco supra allegato, quæ sic est formata: Nam si Angelus in primo instanti suæ creationis peccaret, peccatum illius tribueretur Deo; hoc repugnat: ergo repugnat metaphysice Angelum peccare in primo instanti. Maior probatur: nam prima operatio, quæ incipit cum esse rei, est ab agente, à quo habet esse: ergo si prima operatio Angeli esset peccaminosa, tribueretur Deo. Antecedens probatur: nam prima operatio, quæ incipit cum esse rei, est quasi corollarium illius: ergo est ab agente productivo ipsius rei. Hæc enim ratione motus cordis, & motus naturalis gravium, & levium est ab agente gravium, & levium. Et ob eandem rationem claudicatio alicuius tibie clauda primò incipiens cum esse rei (ut sic utramque exemplo D. Thomæ) tribuitur agenti productivo ipsius rei, & tibie clauda.



53. Huic rationi communiter respondent Adversarij, maximam hanc D. Thomam non tenere in operatione vitali simul & libera, sed tantum in operatione necessaria & non vitali. Prima autem operatio voluntatis Angelice debet esse vitalis & libera, cum sit meritoria, & hac ratione non debet tribui specialiter Deo Angelum producenti.

Contra est primò: Nam imprimis non est contra rationem operationis vitalis & liberæ, quòd ita procedat à principio intrinseco elicitivè, vt simul procedat à principio extrinseco applicativè; deinde prima operatio vitalis & libera debet procedere à Deo vt à specialiter applicante ad eam: ergo debet tribui Deo. Maior est certa, si vera est doctrina tradita à Thomis circa prædeterminationem physicam. Minor verò, in qua tantum est difficultas, probatur: Tum auctoritate D. Thomæ 1. 2. quæst. 109. art. 2. ad 1. vbi ait: *Homo est dominus suorum actuum & volendi, & non volendi propter deliberationem rationis, qua potest flexi ad unam partem, vel ad aliam: sed quòd deliberet, vel non deliberet, est sibi in modo etiam sit dominus, oportet quòd hoc sit per deliberationem præcedentem;* & cum hoc non procedat in infinitum, oportet, quòd finaliter deveniatur ad hoc, quòd liberum arbitrium hominis moveatur ab aliquo exteriori principio, scilicet à Deo. Idem tradit in eadem parte quæst. 9. art. 4. vbi docet; primum actum intellectus, & voluntatis debere procedere à Deo tanquam à speciali movente & applicante. Tum ratione: nam si voluntas Angeli non applicaretur à Deo specialiter ad primam sui operationem, esset agens & passum respectu eiusdem, & secundum idem: si quidem ageret vt applicata à se primam operationem, & in se illam reciperet; hoc autem repugnat: ergo in prima sui operatione vitali & libera petit specialiter applicari à Deo. Hæc ratione docent communiter Philosophi, vivens moveri specialiter à generanti ad motum cordis.

54. Contra est secundo (per quòd doctrina præcedens radicatus explicatur) nam qui tenetur movere specialiter ad dictamen practicum, movens efficaciter, ad primum actum liberum voluntatis, etiam movet specialiter ad ipsum actum liberum voluntatis; sed Deus tenetur specialiter applicare ad primum dictamen practicum movens efficaciter ad primum actum liberum voluntatis: ergo etiam movet specialiter ad primum actum liberum voluntatis. Maior est certa, & supponitur ex dicendis. Intra dub. 7. §. 1. Minor verò probatur: nam Deus tenetur constituere quamlibet creaturam, maxime Angelum, in actu primo completo ad se movendum in omnibus suis operationibus; sed dictamen practicum est casus movens ad actum voluntatis est necessarium prærequiritum ad illum,

vt loco citato fuit probatum: ergo debet ad illud specialiter à Deo moveri.

Roboratur hoc: Nam Angelus nequit à se ipso moveri ad dictamen practicum præcedens primum actum voluntatis: ergo specialiter debet à Deo moveri. Antecedens probatur: nam primum dictamen practicum debet præcedere omnem actum voluntatis: ergo ad illud nequit Angelus moveri à seipso. Antecedens probatur, quia nihil voluit, quin præcognitum. Tum etiam: quia prior est intellectus in exercitio quam voluntas; sed idem ordo reperiri debet inter actus intellectus & voluntatis, ac inter illorum obiecta & potentias: ergo primum dictamen practicum debet præcedere omnem actum voluntatis. Quam impugnationem desumpsimus ex D. Thomæ in hac 1. part. quæst. 82. art. 4. ad 3. vbi ait: *Non oportet procedere in infinitum. Sed statim in intellectu, sicut in primo. Omnem enim voluntatis motum necesse est, quòd præcedat apprehensio; sed non omnem apprehensionem præcedit motus voluntatis, sed principium considerandi & intelligendi est aliquid intellectuum principium altius intellectu nostro, quòd est Deus, vt etiam Arist. dicit in 8. Ethic. Et per hunc modum ostendit, quòd non est procedere in infinitum. Pro quo videnda omnino sunt, quæ dicimus loco proximo relato, & quæ diximus tract. 5. disp. 2. dub. 1. per totum, maxime §. 5.*

55. Contra est tertio (per quòd adhuc magis radicatus expenditur doctrina præcedens) Nam voluntas Angeli, seu illud quòd elevetur ad ordinem supernaturalem, debet constitui à Deo specialiter in actu primo completo ad operandum in prædicto ordine; sed natura Angeli, hoc ipso quòd elevetur ad ordinem supernaturalem, & constituitur in actu primo completo ad operandum, petit, vt constituitur sub dilectione Dei supernaturali super omnia: ergo debet moveri specialiter à Deo ad dilectionem Dei supernaturalem super omnia; sed hæc excludit omne peccatum actuale: ergo primum actus Angeli nequit esse peccaminosus. Hæc vltima consequentia constat. Minor subsumpta supponitur. Maior constat ex dictis num. 7. Minor verò probatur: nam ad hoc vt natura Angelica constituitur in actu primo completo ad exercendas omnes suas operationes in ordine naturali, necesse est, quòd constituitur specialiter à Deo sub actuali cognitione & amore Dei finis naturalis, vt vidimus loco proximo relato: ergo, vt constituitur in actu primo completo ad exercendas omnes suas operationes supernaturales, debet constitui specialiter à Deo in actuali cognitione & amore Dei finis supernaturalis. Pater consequentia: nam gratia elevat naturam Angelicam iuxta modum connaturalis ipsius nature, vt tradit D. Thomas in hac 1. part. quæst. 62. art. 3. ad 2.

Et

Et confirmatur hoc: Nam ad naturam hominis spectat, quando insit prima operatio, quòd constituitur specialiter à Deo sub amore finis, vt sic sufficienter constitutus in actu primo ad hoc, vt possit se ipsum movere ad omnes suas operationes, & electionem medianam: ergo potiori iure hoc concedendum est Angelo sine in linea naturali, sive supernaturali; tam sic: sed quia homo est magis potentialis quam Angelus, sufficit, quòd constituitur à Deo in actuali intentione & amore boni communiter: quia Angelus est magis actualis, & gaudet superiori gradu immaterialitatis, exigie, vt moveatur, à Deo specialiter, & constituitur in actuali amore finis vltimi in particulari, qui est Deus: ergo si elevatur ad ordinem supernaturalem, petit constitui specialiter à Deo sub actuali amore Dei finis supernaturalis.

56. Neque ex hoc inferas, amorem Dei supernaturalem esse Angelo necessarium: quoad exercitium, sicut est amor naturalis Dei super omnia. Non (inquam) inferas: Nam iussu Dei naturalis ex alio capite est necessarius quoad exercitium, nempe, quia Angelus est necessitatus quoad exercitium ad amandum seipsum, quo supposito, ratio supradicta suadet esse, illi necessarium quoad exercitium amorem Dei naturalem. Ceterum cum Angelus non sit necessitatus quoad exercitium ad amandum aliquid medium supernaturale; & aliunde solus Deus clarè visus necessitat quoad exercitium ad amorem Dei supernaturalem: inde est, quòd ratio nostra tantum probat, prædictum amorem esse Angelo necessarium, in suppositione quòd se determinat ad operandum in ordine ad finem supernaturalem; & hoc tantum probat necessitatem quoad specificationem.

Ex quo inferitur, quòd semel quòd Deus elevet gratiosè naturam Angelicam ad finem supernaturalem, & tenetur titulo speciali movere ad aliquam operationem supernaturalem, necessarium & vt auctor particularis debet illi contere auxilium sufficiens, & efficacè ad amorem supernaturalem. Et cum ex vna parte auxilium sufficiens & omnino prærequiritum ad talem amorem sit gratia habitualis, cum qua est incompossibile omne peccatum, vt tradunt N. Salm. tract. 15. disp. 2. à num. 203. & ex alia Angelus non possit peccare venialiter, vt nunc supponimus, & tandem amor Dei supernaturalis super omnia sit incompossibilis cum omni peccato actuali, consequens est, quòd Angelus in primo instanti non possit elicere aliquam actionem pravam.

§. III.

Opinionis adversantis motivæ.

57. **A**rguitur primò: Nam Angelus in primo instanti habuit omnia, quæ requiruntur ad posse peccare: ergo potuit. *Paul. Theolog. Salm. Tom. III:*

peccare. Antecedens probatur: nam habuit intellectum, quo cogitabat bonitate n. & malitiam peccatorum; perfectum visum rationis, quo discernerebat inter bonum & malum; perfectam libertatem ad eligendum, quòd vellet, habebat insuper præsentiam peccandi, quia erat factus ex libito, & concupiscitum Dei paratum: ergo habuit omnia requisita ad posse peccare. Et confirmatur: Nam his de causis potuit peccare in secundo instanti: ergo etiam in primo. Probatur consequentia: nam omnia principia, quæ sufficiebant ad posse peccare pro secundo instanti, poterant ei sufficere pro primo, in quo omnia illa habebat.

Nec refert, si dicas Angelum pro primo instanti habuisse libertatem tantum quoad exercitium, non autem quoad specificationem; quæ omnino requiritur ad posse peccare. Non (inquam) refert: Nam si Angelus in primo instanti fuerit liber quoad exercitium, poterat peccare saltem omnimodè supponendo actum, quem tenebatur elicere, supponendo quòd in primo instanti urgebat præceptum circa conversationem ad Deum vltimum finem supernaturalem.

Ad hoc argumentum, simili cum confirmatione respondetur, solvendo solutionem inter arguendum datam. Quia Angelus petit specialiter determinari à Deo ad primam operationem, ne dicatur, quòd est movens, & motum respectu eiusdem & secundum idem: hæc autem speciem determinationem non petit pro secundo instanti: quia ex vi primæ operationis est satis constitutus in actu primo completo, vt ex vi illius possit determinari pro instantibus sequentibus. Ad probationem, quæ procedit contra solutionem inter arguendum datam: Respondetur, quòd ad libertatem quoad exercitium sufficit, quòd Angelus possit ponere omissionem actus præcepti negativæ, non verò requiritur, quòd possit ponere illam privativè, seu vt est componibilis, cum præcepto, vt de libertate Christi solet dici. Itaque, eo ipso quòd insisteret præceptum pro primo instanti ad aliquem actum, tenebatur Deus immittere Angelo dictamen practicum proponens & infallibiliter voluntatem ad sui exercitium: quia Angelus non potest per seipsum illud efformare, & cum dictamen proponens omissionem actus vt componibilem cum præcepto, sit pravum, ob quam rationem nequit à Deo immitteri, consequens est, quòd Angelus manens cum libertate contradictionis non possit peccare, quia est incapax prædicti dictaminis defectuosi.

58. Ab hoc argumento, & eius replica ægrè se expedient, qui asserunt, dictamen practicum à Deo immissum in primo instanti non esse ad intrinseco infallibiliter connexum cum actu amoris, ac pròinde posse compari cum eius omissione. Ita Rios in tract. de Iudicio indifferenti disp. 1. sub dub. vnicò à num. 23. referent.



pro se Ferre, & Ioannem à Sancto Thoma. Ducuntur ad hoc asserendum, vt salvent libertatem contradictionis in elicientia amoris pro primo instanti. Posito enim hoc modo dicendi, ægrè (inquam) se expediret ab hac difficultate. Nam inquiri, quando voluntas viciniam determinat ad actum amoris, vel determinatur à se, vel à iudicio? Si à se: ergo stante iudicio à Deo immisso, potest fornicare dictamen, quod proponit esse convenientius non amare quam amare; & si hoc potest formare, non est ratio, quare non possit formare aliud dictamen pravum circa aliud obiectum. Vel, si hoc est infallibiliter conexum cum carentia amoris, non est ratio, cur iudicium à Deo immisum non sit infallibiliter conexum cum actu amoris. Vel, si, non obstanti quòd hoc iudicium non est infallibiliter conexum cum actu amoris, potest determinari ad illum & ad carentiam illius, non est ratio, cur non sufficiat iudicium indifferens intentum ab Adversarijs. Si viciniam determinatur à iudicio à Deo immisso: ergo infallibiliter omnino voluntas ad illud sequendum.

Iterum inquiri: Stante præcepto de amore Dei supernaturali, & iudicio prævidente tum præceptum, tum obiectum amandum, Angelus vel potest componere cum illis omissionem actus, vel non? Si dicant præceptum ergo possunt peccare, cum voluntarie possent ponere omissionem actus præcepti in sensu composto præcepti. Si dicant secundum ergo iam iudicium immisum à Deo connectitur infallibiliter cum actu amoris. Si ergo cum hoc iudicio componunt in Authores libertatem contradictionis, & si hoc iudicium prævidens præceptum connectitur infallibiliter cum actu præcepto, quare de iudicio immisso à Deo absolute sumpto non potest hoc affirmari. Certè nullam recognosco disparitatis rationem. Vel illam assignent prædicti Authores.

Si verò respondeant, vt verè respondent Ferre, & Ioannes à Sancto Thoma, quòd stante iudicio prævidente præceptum manet in Angelis solùm libertas ad ponendos duos actus amoris numericè distinctos hunc, vel illum, cum quo componunt & libertatem contradictionis, & adimplerem præcepti: quandoquidem ponendo ex una parte actum amoris B ponunt carentiam amoris A, vel e converso; & ex alia adimplent præceptum, quia est de actu amoris vagè sumpto non verò de amore determinato. ¶ Si hoc (inquam) respondeant, manet contra illos: Primo, quòd Deus potest præcipere hunc numero actum determinatum. Qua instantia convincuntur dicere, vel quòd Angeli nullam exercent libertatem; vel quòd possunt instante præcepto ponere carentiam amoris præcepti. ¶ *Secundò*: quòd voluntas in instanti A (v.g.) non est capax adhuc in sensu diviso eligendi divinum actum numero distinctos circa idem obiectum, cum hæc diversitas ex nullo capite possit

desumi: non à subiecto, cum sit idem, nempe eadem voluntas: non à tempore, cum supponatur esse primum instanti, quod verè actus debet comotare. Quare sentiant, vel debent sentire Thomisæ, quantitate non posse adhuc divinum respicere in eodem instanti duas numero albedines. His de causis standum est, solutionis supra traditæ, & doctrinæ N. Salm. circa efficaciam intrinsicam iudicij practici. Obiectiones contra illam ebullientes iam manent enodatz loco citato de *Predestinatione*.

59. Arguitur *secundò*: Nam si Angelus non possit peccare in primo instanti, nec in secundo; consequens est falsum & hæreticum: ergo & antecedens. Sequela probatur: nam ad operationem elicientem in secundo instanti debet applicari iuxta nos per operationem elicitam in primo instanti; sed per operationem bonam non potest applicari ad operationem malam: ergo si in primo instanti non potest peccare, nec in secundo.

Explicatur hoc: Nam ex intentione finis, quam Angelus habuit in primo instanti, procedit electio, quam habuit in secundo instanti, ad hæcque concurrunt illa in genere causæ efficien- tis: quia, vt dicit commune proloquium, ita se habet intentio ad electionem, sicut assensus præmissarum ad assensum conclusionis: ergo vel per intentionem habitam in primo instanti non applicatur ad electionem habitam in secundo, vel electio habita in secundo nequit esse mala: quia intentio bona nequit influere in electionem malam.

Ad hoc argumentum respondetur cum Carrasco in præf. a num. 44. quòd ex intentione bona optimè potest voluntas moveri ad electionem pravam, quando intentio non est per se conexa cum prava electione, secus verò quando per se est conexa cum electione. Pro qua solutione citat RR. Baionam in suis Manuscriptis. Pro cuius intelligentia notandum est, quòd intentio finis, qui consequibilis est indifferenter per prava vel bona media, per se solùm determinat ad eligendum medium vagè, non tamen ad eligendum medium honestum determinatè, vel determinatè inhonestum. Voluntas tamen constituta per hanc intentionem potest pro sua libertate moveri determinatè ad eligendum medium pravum præ honesto. Quare totus defectus refunditur in pravam electionem & usum voluntatis, nõ verò in eius intentionem. Ponamus exemplum: Quis intendit subvenire vel propria, vel aliena misericordia consequendum hunc finem potest eligere vel medium bonum, v.g. humilem petitionem elemosinæ; vel pravum, vt furtum: cum nullo tamen determinatè sumpto est conexa intentio. Eligit verò furtum: tunc intentio non influit activè in hanc pravam electionem, sed hæc totaliter dependet ex determinatione voluntatis, licet intentio se habeat vt conditio *sine qua non*. Contra

Contra verò quando intentio est conexa cum medio, tunc non solùm se habet vt conditio, sed etiam verè & activè influit in electionem, vt si quis intendere furari.

igitur intentio, quam habuit Angelus in primo instanti, determinat illum primo modo, vt se movet in secundo instanti: quia cum libertas omnimoda nequeat exerceri in primo instanti, vt potest motus specialiter à Deo, congruum & necesse est, quòd remaneat cum plena libertate pro secundo instanti: ideoque optime stat, quod per intentionem bonam habitam in primo instanti constitueretur in actu primo, vt possit se movere in secundo ad electionem bonam, vel malam: quia tunc intentio non influit physicè in pravam electionem, sed tantum se habet vt dispositio, aut conditio *sine qua non*: tum quia per se non est conexa cum illa, tum, & quia voluntas in hac electione incipit primò se movere omnino de liberate, quòd desuit in primo instanti, vel in prima intentione. tum denique: quia cum Angelus esset in primo instanti liber quoad exercitium, fuit in eius potestate continuare, vel non continuare hanc intentionem & amorem supernaturalem, iuxta quòd, vt ex terminis constat, intentio nequit influere in voluntariam eius suspensionem.

60. In hac solutione certè quiesceret intellectus, si non se opponeret firmis principiis D. Thomæ & communi sententia Thomistarum 2.2. quest. 89. art. 4. assensum Angelum non posse peccare venialiter: quia eius peccatum nequit consistere in prava electione mediocrum, sed in prava intentione alicuius ultimi finis. In qua suppositione semper ad electionem pravam debet præsupponi prava intentio respiciens aliquem ultimum finem distinctum à vero ultimo fine. Et hoc provenit ex nobilitate & actualitate suarum potenciarum, qui cognoscens verum ultimum finem in particulari vult se avettere ab illo, & in alio illum constituere; vel non vult voluntariè ad illum attendere, quando practice operatur, quòd est idem ac illum respicere, & hunc interpretative eligere.

Nisi velit dicere, vt verè ait num. 45. in fine, quòd electio, quam habuit in secundo instanti, abque distinctione reali rationem & intentionis, & electionis: electionis, quia voluntas Angeli movetur ad eam ex vi primæ intentionis habitæ in primo instanti: intentionis, quia sistit immediate in ultimo fine sicut, vel vero. Sed hoc etiam est contra D. Thomam in hac 1. part. quest. 60. art. 2. Pro quo vide quæ diximus disp. præced. num. 164. in solut. ad conf.

Nihilominus respondetur, sustinendo traditam solutionem, seu magis illam expendendo: si dicitur, quòd Angelus ex vi primæ intentionis habitæ in primo instanti non movetur efficaciter ad actum elicitum in secundo instanti, sicut efficaciter movebatur per dictamen practicum im-

missum à Deo ad primam intentionem habitam in primo: & hac de causa prima intentio non potuit non esse bona; secunda verò potuit esse mala. Ex ratio huius distinctionis est: quia in primo instanti potuit moveri specialiter à Deo oblationes allatas in nostra conclusionem, ideoque in illo non potuit exercere omnimodam suam libertatem: at secundum instanti est, vt explicet omnimodam suam libertatem; eoque nulla operatio exercita in illo habuit necessariam connexionem cum operatione primi instantis: Vnde ex eo, quòd Angelus in primo instanti non potuit peccare, nullatenus inferri valet, quòd non potuerit peccare in secundo. Dicitur tamen moveri ex vi primæ intentionis habitæ in primo instanti ad eliciendas omnes suas operationes in secundo, quia nisi illa præcederet, non posset possessa ullam exercere: non quia verè & activè influit in operationes exercitas in secundo instanti: sicut de intentione subveniendi miseris in ordine ad electionem furari supra dictum est. Neque ob hoc actus elicitus in secundo instanti debet dici electio rigorosa: quia peccatum Angelis, vt supra diximus, non desinitur præcisè per ordinem ad media vt talia, sed immediate respicit finem. Potest tamen quodammodo dici electio, tum quia supponit primam intentionem, & ex ea quodam modo movetur ad actum elicitum in secundo instanti: tum & quia est omnino electiva & libera; de cuius ratione est, quòd supponat aliquam operationem naturalem, hoc est, aliquo modo necessariam, vt tradit D. Thomas loco proximè relato. Pro qua solutione recolantur quæ diximus infra tract. 10. disp. 2. numer. 30. vbi hæc solutio magis explicatur, & iuxta ibi dicta hæc intelliguntur.

## §. IV.

## Reliqua argumenta.

Arguitur *tertiò*: Nam Angelus in primo instanti potuit mereri, & defacto meruit: ergo etiam potuit peccare. Consequentia probatur: tum, quia libertas, quæ sufficit ad merendum, sufficit ad demerendum: imò plus requiritur ad meritum, quam ad demeritum: quia bonum ex integra causa; & malum ex quocunque defectu: ergo si potuit mereri in primo instanti, etiam demereri. Tum etiam: nam sicut Deus non potest peccare, ita non potest mereri; & tamen Angelus in primo instanti potuit mereri: ergo etiam potuit peccare.

Ad hoc argumentum respondetur D. Thomam in præf. quest. 63. artic. 5. ad 3. his verbis: *Dicendum, quòd quiaquid est in merito, est à Deo; & ideo in primo instanti sum creationis Angelus mereri potuit. Sed non est similis ratio de peccato, vt dictum est.* Eodem



modo respondet 3. part. quæst. 34. art. 3. ad 1. & quæst. 16. de Malo artic. 1. ad 20. ¶ Ad primam probationem dicendum est, quod ad meritum sufficit libertas contrarietatis, ut constat in Christo; ad peccatum autem requiritur libertas contrarietatis. Vel dici potest, quod in demone non datur post peccatum nisi libertas contradictionis ad malum, ut infra dub. 9. dicemus: & ita sicut sufficit libertas contradictionis ad malum, etiam sufficit eadem libertas ad bonum. Illud axioma debet intelligi ex parte actus, quatenus ad actum bonum requiritur concursus omnium circumstantiarum debitum; & ad malum sufficit defectus vnius. Ad secundam dicimus, quod Deus, esse non conatur elicitive ad meritum nostrum, ob quam rationem nequit mereri; potest tamen concurrere applicative; ad peccatum vero neutro modo.

62. Arguitur quartò: Homo potest peccare in primo instanti vni rationis: ergo etiam Angelus in primo instanti sue creationis. Antecedens est certum: nam homo primo ad vsum rationis perveniens tenetur se convertere efficaciter in Deum, ut tenet concors sententia Thomistarum cum suo Angelicæ Mag. 1. 2. quæst. 89. art. 6. quod præceptum non omnes, imo pauci adimplent. Consequentia etiam constat à paritate.

Et confirmatur: Nam homo in primo instanti vni rationis animæ ad corpus contrahit peccatum originale; & tamen ex hoc non arguitur, Deum esse causam talis peccati: ergo similiter, est Angelus in primo instanti sue creationis peccaret, non recte arguitur, Deum esse causam peccati.

Ad argumentum respondetur, hominem posse peccare in primo instanti vni rationis, si per illum intans intelligatur intans morale, secus vero si per illum intelligatur primus intans physicum. Pro cuius intelligentia supponimus ex tract. de Peccatis, primum intans susceptionis in homine non esse vniuersum intans physicum, sed morale, constans ex pluribus instantibus physicis, quæ componunt aliquam mortuam temporis longiorem, sive breviorum iuxta acumen, aut tarditatem ingenij. Hoc non contingit in Angelis, qui in vniuerso & primo instanti physico habent perfectum vniuersum rationis. Quæ differentia deducitur ex maiori potentia libertate vniuersi; & ex maiori actualitate alterius.

Igitur primum intans angelicum correspondet non primo instanti morali hominis, sed physico. Vnde sicut Angelus non potest peccare in primo instanti, quia movetur specialiter à Deo, similiter nec homo in primo instanti physico ob eandem rationem. At quia voluntas hominis post hoc primum intans habet, unde possit à seipso moveri, quia iam supponitur

motu specialiter à Deo, idè potest peccare in primo instanti morali. Et ob eandem rationem præceptum vrget in toto illo instanti morali. Idem dicendum est de primo instanti in quodam primo negotio, cuius prima cogitatio debet peculiariter esse à Deo, sic tunc tacitam replicam præoccupamus.

Ad confirmationem respondetur cum D. Thoma quæst. 16. de Malo art. 4. ad 1. vbi ait: *Dicendum, quod anima in primo instanti sue creationis efficitur mala, non per actionem propriam, sed per unionem ad corpus infectum. Unde non est similis ratio de Angelo, qui non potest fieri malus, nisi per actum proprium. Quæ solutio est plana, facilis, & cuius intelligibilis, & propterea non movetur in ea.*

63. Arguitur ultimo: Nam fallum est, quod prima operatio incipiens cum esse rei tribuitur generanti: ergo ex hac ratione non sequitur, Angelum posse peccare. Antecedens probatur primo: Nam illuminatio Solis simul incipit cum Sole; & tamen non tribuitur Deo nisi tanquam causæ vniuersali. Secundo: Nam hæc ratio tantum probat, operationem omnino primam debere tribui generanti, non vero alias operationes, quas potest elicere in eodem instanti, atque ideo tantum probat primam illuminationem esse bonam. Tertiò: Nam Angelus non solum dependet à Deo in fieri, sed etiam in conservari; & tamen, dum illum conservat in secundo instanti, non tenetur illum specialiter applicare ad operationem elicitam in illo: ergo nec ad operationem elicitam in primo instanti.

Respondetur, negando antecedens. Ad primam probationem dicendum est, propositionem ad Thomam intelligi de prima operatione, quæ est principium ceterarum: unde cum illuminatio solis non sit instanti, & propterea non debet tribui Deo specialiter. At prima operatio Angelica incipiens cum esse illius est principium ceterarum, quæ exercentur tam in primo, quam in secundo instanti, & hæc ratio ne est à Deo specialiter. Ad secundam respondetur, quod actus omnino primus in Angelo debet esse amor Dei super omnia; cum quo incompatibilis est aliqua operatio prava. Ad tertiam respondetur, quod licet Angelus æquè dependeat à Deo in sui conservacione, ac in sui productione, non tamen æquè dependet à Deo in operationibus secundum instanti, ac in operationibus primi instanti. Nec ob hoc falsificatur ratio D. Thomæ. Cuius discriminis ratio est: quia in prima operatione non habet, unde possit à seipso determinari, & propterea debet à Deo specialiter determinari. Ad supposito esse illius per productionem & conservacionem, supposita etiam prima operatione elicita in primo instanti, iam ex vi huius operationis potest à seipso determinari. Vnde

quand

Dub. V. Vtrum primum Angelis peccatum fuerit superbia proprie? 253  
quavis Deus tenetur specialiter Angelum applicare ad operationem incipientem cum esse illius, secus vero ad operationes elicitas dependentes à sui conservacione.

#### DUBIUM V.

Vtrum primum Angelis peccatum fuerit superbia proprie, & specialiter dicta.

In hac controversia præcipua est inter D. Thomam, & Scotum, inter discipulos illius, & inter assecras illius: D. Thomas in præf. quæst. 63. art. 2. docente, primum peccatum demones fuisse superbiæ proprie talem: Scotus 2. dist. 6. quæst. 2. affirmante iussu spirituales luxuriam seu philantiam, & rationaliter tantum fuisse superbiæ. Sed quia resolutio huius difficultatis ex varia acceptione terminorum pendet (quæ ratione magnam partem habet de voce) operæ pretium ducimus mentem vtriusque Doctoris explanare; & nonnulla in dubitata apud Autores supponere.

#### §. I.

Explicatio tituli, & aliqua suppositiones.

64. Observa igitur, superbiæ proprie dictam diffiniri per hoc quod est: *Appetitus immoderatus propria excellentia.* Ita D. Thomas 2. 2. quæst. 162. art. 2. Nam secundum illud ordinarium ab eodem D. Thoma ibi art. 1. *Superbus dicitur, quia super vult videri quam est, vel quia vult supergredi quod est.* Inquit tamen Scotus apud Mairium disp. 3. quæst. 4. art. 1. num. 68. per prælatam definitionem non satis explicari naturam superbiæ specialis & proprie dictæ, sed superbiæ lato modo acceptæ, & hunc affectum inordinatum proprie excellentiæ appellat proprie luxuriam spirituales, ideoque superbiæ proprie dictam diffinit per hoc, quod sit: *Appetitus inordinatus proprie excellentiæ super alios.* Hinc deducit, quod cum prius sit bonum sui vel absolute amabile, quam vel respectively amabile in ordine ad alios, primum peccatum illius fuit non superbiæ proprie talis, sed luxuria spiritualis seu philantia, quæ improprè dicitur superbiæ. Hec Scotus apud Mairium. Quamvis Herrera Scotilla de Angelis disp. 17. quæst. 3. mentem subtilis Doctoris interpretatur dicens, quod dum negat hunc inordinatum affectum iussu superbiæ, nomine superbiæ solum intelligit stricte inordinatum, quæ ambitio nuncupatur, Quocirca, si standum est interpretationi priori, recte Scotus opponitur communis placito Theologorum in eo, quod

iuxta sententiam Scoti, & Mairij eius discipuli primum peccatum Angelis formaliter non fuit superbiæ proprie talis, sed philantia seu luxuria spiritualis, quæ dicitur talis per analogiam ad luxuriam corporalem: nam cum amor nimis pulchritudinis corporalis pertineat ad concupiscentiam oculorum, quæ quidem est luxuria, vel ad eam reducitur, propterea dicitur primum peccatum demones fuisse luxuriam spirituales, quæ tantum radicaliter est superbiæ: Cæteris Theologis affirmantibus, prædictum inordinatum amorem esse superbiæ proprie talem; ac proinde primum eius peccatum fuisse proprie & formaliter superbiæ.

65. Supponitur tamen est primo, contra Tertulianum, primum peccatum demones non fuisse carnalem luxuriam. Et ratio deducitur ex D. Thoma loco supra relato: nam Angelus non affectus erga bona, quæ non sunt sui nature proportionata & convenientia; sed delectatio carnalis & venerea non est bonum proportionatum & convenientia nature angelicæ, siquidem est bonum corporale; & Angelus est pure spiritualis: ergo primum peccatum Angelis non fuit carnalis luxuria. ¶ Supponendum est secundo, demones in secundo instanti incidisse in peccatum superbiæ proprie, imò & stricte talis. Hoc aperte colligitur ex sacra pagina, & ex PP. quorum nonnulla testimonia infra referemus, & ratio ex infra dicendis constabit. ¶ Supponendum est tertio, Angelum in eodem secundo instanti, præter inordinatum affectum proprie excellentiæ & superbiæ proprie & proprie imè dictæ, commisisse plura alia peccata, ut invidiam, odium Dei, blasphemiam, inobedientiam, & alia. In hac, & præcedenti suppositione conspirant omnes Theologi. Et merito, quia ita docent PP.

66. Sed obijcies primo ex D. Augustino tract. 42. in Ioann. vbi ait, quod demones sunt homicida per odium, & invidiam non ab initio sui peccati, sed dum conditus fuit homo: ergo in illo secundo instanti non commisit peccatum odij & invidiæ. ¶ Secundo: Nam primum peccatum Angelis in illo instanti fuit in omnium sententia nimia delectatio proprie excellentiæ: ergo in illo non commisit peccatum invidiæ & odij Dei. Pater consequentia: quia suavia delectatio, quam habuit de sua excellentia, non stat cum odio, & invidia de aliorum perfectione. ¶ Tertio: Quia in illo instanti adhuc non exprobrabatur Deum sibi contrarium aut alios sibi resistentes: ergo nec de illis invidabat, nec odio prosequabatur.

Ad primam ex Augustino respondetur, ex eius verbis tantum deducti quod demones non invidierit hominem in instanti sui primi peccati, secus vero quod non invidierit Deum, & Angelos bonos. Vel dic, Augustinum loqui de invidia circa hominem in executione operis, non



in intentione. Ad secundum respondetur, quod optime stare potest summa delectatio de propria excellentia cum invidia bonorum alterius, quia sunt de diversis obiectis, sicut de facto in demone modo coniunguntur. Ad tertium respondetur, quod cum demon in illo instanti appetierit esse sicut Deus modo infra explicandos, & viderit Angelos bonos sibi resistere, potuit eos invidere, & odio prosequi.

67. Supponendum est, quod primum peccatum Angeli non fuisse invidiam. Ita D. Thomas loco supra relato ubi ait: Post peccatum superbie consecutum est in Angelo peccante malum invidie. Ratio huius traditur ab eodem Angelico Magistro, in 2. dist. 5. quaest. 1. art. 3. ad 2. his verbis: Invidia est dolor aliena prosperitatis, in quantum est impeditiva alicuius boni proprii. Divina autem felicitas non est impeditiva alicuius boni proprii, nisi quod inordinata desideratur: quia ab eo omne bonum descendit. Et ita invidia presupponit aliquod peccatum, per quod voluntas deordinatur. Maxime, quia peccatum primum Angeli non fuit actus per modum fugae, siquidem actus per modum fugae respicit obiectum ut repugnans & disconveniens, & obiectum disconveniens non respicitur, nisi per ordinem ad conveniens; proindeque omnis fuga: aut nolitio mali deordinata, supponit volitionem deordinatam alicuius boni, sed invidia est actus fugae, ut ex se liquet, ergo.

68. Sed obijciunt primo ex D. Basilio hom. de Invidia ubi ait: Qui enim Principem malorum demonum ad bellum impulit: Nonne invidia, per quam Dei adversarius deprehensus est? Secundo: nam nolitio deordinata potest presupponere volitionem bonam, ut qui vult non obedire, quia vult orare.

Ad primum respondetur, D. Basilium solum intendere demonem dum esset in via, peccasse peccato invidie: quia, ut ait D. Thomas in praef. art. 2. post peccatum superbie consecutum est in Angelo peccante malum invidie. Idem expressè tradit D. Augustinus, lib. de Genes. ad litteram cap. 14. & Leo Magnus, serm. 4. de Collectis. Ad secundum respondetur, negando assumptum. Quia actus de se bonus redditur malus, si est causa vel occasio electionis pravæ. Adde: quod Angelus nequit deordinari circa media, nisi prius deordinetur circa finem, quia peccatum eius debet incipere a fine, ut infra forte dicemus.

Hinc oritur, quod primum peccatum demonis non fuit odium Dei, aut inobedientia: quia uterque actus est actus fugae & nolitio nis.

Unde tota difficultas redigitur ad peccatum superbie, & ad peccatum spiritualis luxurie. Et inquiritur, an primum peccatum demonis, ex quo ortum duxerunt alia peccata, sit

peccatum superbie specialiter dictæ; vel peccatum spiritualis luxurie? Vel, ut praefatus loquimur, an in affectu inordinato propriae excellentiae, qui est primus actus peccaminosus demonis, reperitur species propria superbiae; vel tantum species spiritualis luxurie?

§. II.

Communior sententia.

69. Dicendum est, primum peccatum Angeli fuisse superbiam proprie dictam. Ita Thomasz, & leicitæ contra Scotum & plures eius discipulos, præcipue Magistrum. Et probatur primo nonnullis Scripturae testimonijs: Nam Ecclesiast. 10. dicitur: Initium omnis peccati est superbia. Idem habetur Tob. 4. In superbia sumpsit initium omnis perditionis. Mirimus alia testimonia: quia illis non adeo aperte suadetur, superbiam fuisse primum peccatum Angeli, licet eis satis probetur, Angelum commisisse in secundo instanti peccatum superbiae proprie dictæ.

Et confirmatur autoritatibus SS. PP. Nam Basil. quæst. 10. ad Antiochum ait: Diabolum propter superbiam suam cecidisse. Nazianzen. orat. 38. dicit: Primum Angelum ob splendorem prius appellatum Luciferum, propter superbiam caliginem effectum esse & nominatum. D. Hieronymus, cap. 16. Superbiam, propriam diaboli, primumque peccatum vocat. Ambrosius, epist. ad Demetriadem: In lapsu diaboli initium peccati superbia est. Nec omittam D. Bernardum, qui serm. 1. Adventus ait: Initium omnis peccati superbia, quæ non modo Angelum, sed Angelorum Principem in diabolum commutavit. Nec licet omittere D. Augustinum, qui in suo lib. de Natura & grat. cap. 29. ita inquit: Ideo verisimè dictum est: Initium omnis peccati superbia, sed diabolum, a quo stetit origo peccati, ipsa deijcit.

Ex quibus testimonijs conficitur prima ratio nostra assertionis: Nam de actibus liberis Angelorum non aliter sentiendum est, nisi iuxta ea quæ Scriptura, & SS. PP. nos edocent; sed tam Scriptura, quam SS. PP. veri illius Interpretes clare & expressè nos docent, primum peccatum Angeli fuisse superbiam, adeo ut raro, vel nunquam mentionem faciant alterius peccati, & propterea superbia demonum peccatum, communiter appellatur: ergo primum peccatum demonum fuit superbia. Nec fas est recurrere ad superbiam improprie talem: quia verba sacrae Scripturae accipienda sunt secundum sensum proprium, si ex tali acceptione nullum sequitur absurdum: Quod in praefati non sequi ex solutione arguentorum satis constabit. Tum etiam, quia ipsi Adversarij prædictis testimonijs ducti iam supponunt, demonem

nem in secundo instanti incidisse in peccatum superbiae proprie dictæ: ergo dum præfata testimonia essent, primum peccatum Angeli fuisse superbiam, manifestè ex eis sequitur primum peccatum demonis fuisse superbiam proprie dictam.

70. Sed respondet Magistrus loco supra relato num. 78. omnia prædicta testimonia non intelligi de primitate originis, sed de primitate principalitatis: quasi dicant, quod superbia proprie dicta fuit principale peccatum, ob quod diabolus damnatus est. Quibus addit, quod est intelligendum de primitate originis, solum debent intelligi de primitate respectu omnis peccati ab hominibus commissi, secus verò de primitate omnis peccati Angelorum.

Sed neutra expositio satisfacit. Non prima: Nam Scriptura, & PP. de superbia demonis ita loquuntur, quod ipsa fuerit initium omnis perditionis: ergo fuit primum peccatum non solum primitate principalitatis, sed etiam primitate originis. Patet consequentia: nam nomen initij præcipue significat primatum originis. Nec secunda: Nam iuxta Scripturam, & PP. superbia fuit initium omnis perditionis: ergo non solum perditionis hominum, sed etiam perditionis Angelorum. Patet consequentia: nam propositio illa universalis absque vilo fundamento & profusè voluntariè restringitur ad perditionem hominum. Maxime: quia illud fuit peccatum primum in demone primitate originis, per quod cecidit est a sua dignitate; sed iuxta Scripturam, & PP. peccatum superbiae fuit prima causa, ratione cuius demon cecidit a sua dignitate, ut recolepti relata testimonia constabit: ergo.

71. Deinde probatur ratione fundamentali: nam primum peccatum Angeli fuit inordinatus amor propriae excellentiae; sed huiusmodi inordinatus amor propriae excellentiae est peccatum superbiae specialiter dictæ: ergo primum peccatum demonis fuit superbia proprie dicta. Maior conceditur ab Adversarijs. Et minor probatur: tum ex diffinitione superbiae supra tradita à D. Thoma, & desumpta à D. Isidoro, quibus potius standum est in diffinitionibus statuentis, quam Scoto. Tum etiam: nam prædictus affectus inordinatus directè opponitur virtuti humilitatis; sed superbia est vitium directè oppositum humilitati: ergo ille inordinatus affectus propriae excellentiae est propria species superbiae. Maior probatur: nam humilitas iuxta D. Thomam 2.2. quaest. 161. art. 1. ad 1. est virtus, quæ quis considerans suum defectum, tenet se iuxta modum suum, hoc est, quia considerans quod ex seipso nihil potest, & nihil habet nisi miseriam & defectum, diligit propriam perfectionem iuxta mensuram taxatam à Deo; sed prædictus affectus propriae excellentiae directè opponitur præfato affectui humilitatis,

cum sit affectus propriae excellentiae, non servata mensura taxata à Deo: ergo opponitur directè virtuti humilitatis.

72. Respondetibus cum Magistris n. 69. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad primam probationem potest dici, ad superbiam proprie talem non sufficere, quod quis in affectu propriae excellentiae non servet mensuram taxatam à Deo, sed ulterius requiritur affectus propriae perfectionis ut formaliter excellentis super alios: qui quidem affectus non fuit primus in Angelo, sed ortum duxit ex alio priori affectu propriae excellentiae: considerate secundum se, & hic affectus non pertinet ad superbiam proprie talem, sed magis ad luxuriam spiritualement. Ad secundam potest dici ex amor doctrina num. 72. quod inordinatus eius fuit secundam se consideratus non opponitur propriae & formaliter humilitati: nam solum ille affectus, quo quis se alijs minorem existimat, & vult alijs subijci, est propriae & formaliter humilitas, & huic propriae, formaliter & directè opponitur affectus inordinatus, quo quis vult alijs præferri. Unde cum primus inordinatus affectus demonis non includeret præfata relationem excellentiae super alios, inde est, quod non fuit superbia proprie dicta.

Hæc tamen solutio quoad vtramque partem, quam continet, multipliciter rescinditur. Primo: nam velle non subijci Deo ut Superiori five ex parte rei volitæ, five ex modo volendi sine relatione ad alios, constituit speciem propriae superbiae; sed Angelus in primo sui peccato voluit saltem ex modo volendi non subijci Deo ut Superiori: ergo primum demonis peccatum habuit speciem superbiae proprie dictæ. Maior, in qua tantum potest esse difficultas (quia minor ex infra dicendis aperte constabit) probatur: nam in hoc distinguatur superbia proprie dicta ab alijs vitijs, quod non subijci Deo ut Superiori & eius regulæ seu preceptis est obiectum per se volitum affectus superbiae; secus verò aliorum vitiorum nisi per accidens; consequenter, aut concomitanter, ut tradit D. Thomas 2.2. quaest. 162. art. 6. ergo velle non subijci Deo ut Superiori, independentè à relatione præferentiae supra alios, est affectus superbiae proprie dictæ.

Explicatur hoc: Nam velle per se non subijci Deo ut Superiori sine respectu ad alterum constituit speciale peccatum; sed prædictus affectus non pertinet per se ad luxuriam spiritualement, neque aliud vitium aptius potest assignari, quam superbia proprie dicta: ergo ut dicitur in demone affectus superbiae proprie dictæ, non requiritur relatio excellentiae supra alios. Minor quoad primam partem, in qua est præcipua lis nostra cum Magistris, suadetur: tum, quia inordinatus amor sui est proprius affectus spiritualis luxurie, ut sæpe repetit præfatus



Autor; sed velle non subdi Deo vt Superiori sine respectu ad alterum est affectus valde diversus ab inordinato amore sui, vt ex diversitate obiectorum satis colligitur: ergo. Tum etiam: nam philantia seu amor sui est indifferens ad bonum & malum, & redditur pravus, prout coniungitur cum obiecto superbie, avaritiæ, aut concupiscentiæ carnalis: nullus enim prater Deum cognovit huiusmodi philantiam vt vitium speciale: imò Angelus in primo instanti dilexit se secundum vltimum suæ potentie quoad intentionem, ac prout erat philantus, & non propterea incidit in peccatum luxuriæ spiritualis: ergo velle non subdi Deo vt Superiori sine respectu ad alterum non pertinet per se ad luxuriam spirituales. Tum deinde nam prædictus affectus sine respectu ad alterum, iuxta concessa à prædicto Authore, est affectus superbie genericè sumptus, sed affectus superbie genericè sumptus nequit non constitui in aliqua specie propria superbie: ergo. Tum denique: nam D. Greg. lib. 3. Moral. cap. 7. dicitur modus proprius superbiæ primo loco recenset affectum, quo quis boni à seipso habere existimat: Secundo affectum, quo quis est datum desuper credat, putat, ut non suis meritis accepisse. Tercio affectum, quo quis se habere, quod non habet. Quis enim eredit prædictos affectus non esse superbiæ proprie dictæ, sed spiritualis luxuriæ: hæc tamen in illis nec exprimitur, nec est relatio præferentiæ super alios: ergo velle non subdi Deo vt Superiori sine respectu ad alterum non pertinet ad spirituales luxuriam specialiter dictam.

*Præcipuum Scoti fundamentum.*

**A**rguitur pro Scoti sententia: Nam primum peccatum Angelii fuit inordinatus amor amicitie erga seipsum, quo plus æquo se dilexit irreverberabiliter in Deum; sed prædictus actus pertinet proprie ad peccatum luxuriæ spiritualis, secus verò ad superbiæ proprie dictam: ergo primum peccatum demonis non fuit superbiæ proprie dictæ, sed luxuriæ spiritualis. Maior expressè traditur à Div. August. lib. 1. de Genes. ad literam cap. 15. vbi, de Luciferò loquens, ita concludit: *Perversus amor sui privat sancta societate tangendum spiritum.* Maxime, quia omnis amor concupiscentiæ præsupponit anorem amicitie distinctum realiter ab eo: ideo enim concupiscentium bonum alicui, quia antecedenter prioritate saltem nature diligimus cum amore amicitie, seu propter seipsum.

Minor verò probatur, tum, quia peccatum superbiæ proprie dictæ consistit in appetitu inordinato proprie excellentiæ cum quadam re-

latione prælationis super alios; sed prius ille affectus, quo plus æquo se dilexit irreverberabiliter in Deum, nec importabat relationem prælationis super alios, nec potuit illam importare, quia prius est bonum sui vt absolute amabile, quam vt amabile respectivè, hoc est, in ordine ad alios: ergo actus, qui fuit primum peccatum demonis, non fuit peccatum superbiæ proprie dictæ, sed luxuriæ spiritualis. Tum etiam: quia amor, quo quis inordinate se amat, est eiusdem rationis cum amore, quo inordinate amat proximum: sed amor, quo quis inordinate amat proximum potius pertinet ad luxuriam, quam ad superbiæ proprie dictam: ergo primus amor, quo Angelus dilexit se irreverberabiliter in Deum, non fuit peccatum superbiæ, sed spiritualis luxuriæ. Tum denique: nam nimia complacentia seu delectatio de proprio suo alio corpore pertinet ad luxuriam carnalem ergo nimia complacentia seu delectatio, qua Angelus dilexit propriam perfectionem irreverberabiliter in Deum, potius erat peccatum luxuriæ spiritualis, quam superbiæ. Patet consequentia: magis philantia seu luxuria spiritualis nullo aptiori modo potest explicari, quam per nimiam delectationem obiecti spiritualis, sumpta eymologia à delectatione & philantia corporali.

**74.** Respondetur, concedendo maiorem intellectam modo infra explicando; & negando min. Ad cuius primam probationem dicendum est, quòd ad veram & propriam speciem superbiæ non requiritur respectus explicitus prælationis super alios: siquidem ex quatuor speciebus superbiæ, quas D. Thomas 2. 2. quest. 162. art. 4. recenset, & nos supra insinuavimus ex Div. Greg. tres priores non exprimunt excellentiam super alios. Et D. August. 14. de Civitat. cap. 13. ait, quòd sibi placens immoderate dicitur superbus: que verba omnino voluntarie trahuntur ad significandam superbiæ communiter, aut improprie dictam. Maxime, quia, vt ex supra dictis §. precedenti constat, velle per se, si velle ex parte rei volit, si velle ex parte modi volendi non subijci Deo, vt Superiori, præsumendo ab omni respectu prælationis super alios, est actus superbiæ proprie dictæ, & non alterius vitii: siquidem est affectus propriæ excellentiæ supra modum suum, hoc est, volendo non servare, si velle ex parte rei volit, si velle ex parte modi volendi regulam taxatam à Deo vt Superiori, qui affectus est superbiæ proprie dictæ, vt infra magis explicabimus.

Diximus si velle ex parte rei volit, si velle ex parte modi volendi. Nam velle per se non subijci potest stare dupliciter: Vel ex parte rei volitæ; & contingit, dum quis expressè vult aliquid bonum, positivè abijciendo à se subiectionem ad alium sibi superiorem: Vel ex parte modi volendi; & tunc accidit, quando quis advertens explicitè dari superiorem, qui ponit sibi modum seu

seu regulam in appetendo aliquo bono honesto, non curat de apponendo prædictum modum in prosecutione præfati obiecti: quod est virtualiter & interpretative velle non subijci superiori. Et cum velle aliquid ex parte rei volit, & velle aliud ex modo volendi pertineant ad eandem speciem; hinc est, quòd appetitus propriæ excellentiæ inordinatus propter præfatum defectum interpretativam est peccatum superbiæ proprie dictæ.

Ad secundam probationem respondetur, permittendo mai. & negando min. Nam amor inordinatus proximi non constituit speciale peccatum, sed pertinet ad speciem malitiæ ex circumstantia prava sibi adiuncta, vel libidinis, avaritiæ, vel superbiæ &c. Itaque si quis ita vult proximum, quòd vult illum cum abiectione per se formali aut virtuali regulæ à Superiore præscriptæ, erit peccatum superbiæ specialiter dictæ. Adde: Nam dato, quòd diligere inordinate proximum sit speciale peccatum luxuriæ, adhuc potest in illo ad dari species propria superbiæ, ita ut sit prima in illo: vt si quis persè primò intenderet non subiectionem ad Deum superiorem. Primum verò peccatum Angeli non potuit consistere in aliquo appetitu inordinato propriæ excellentiæ, nisi adiungatur circumstantia prava non subiectionis persè, vel formali, vel interpretative volitæ, quia erat obiectum ex se honestum. Ideoque primum eius peccatum debuit esse peccatum superbiæ proprie dictæ; & non luxuriæ spiritualis. Per quod constat ad tertiam probationem.

**75.** Arguitur secundò: Nam amor inordinatus sui secundum se consideratus, & à relatione prælationis præcisus non opponitur proprie & formaliter humilitati specialiter dictæ: ergo non est proprie peccatum superbiæ. Consequentia patet, quia vitia distinguuntur, prout virtutibus opponuntur. Antecedens verò probatur: nam humilitas explicatur per hoc, quòd quis se alijs minorem existimat, & vult alijs subijci ergo superbiæ proprie dictæ includit relationem excellentiæ super alios. Itaque sic: sed primus inordinatus amor, quo Angelus dilexit propriam perfectionem, non importabat relationem excellentiæ super alios: ergo non fuit proprie & formaliter peccatum superbiæ.

Et confirmatur: nam inordinatus amor sui secundum se consideratus, & à tali relatione præcisus, immediate opponitur charitati: ergo non est peccatum superbiæ. Antecedens probatur: nam in mediè opponitur ordinato odio & contemptui filii ipsius, de quo Saluator Ioann. 12. ait: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam;* sed in hoc perfecto odio consistit perfecta charitas, que tendit ad diligendum Deum propter seipsum, & proximum propter Deum: ergo opponitur immediate charitati.

Paul. Theolog. Solim. Tom. III.

Ad argumentum respondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem dicimus, quòd ad humilitatem proprie dictam non requiritur affectus, quo quis alijs minorem se existimat, sed sufficit affectus, quo Deo superiori & excellentiori persè se subijciat. Unde argumentum potius retorquendum est in Adversarios. ¶ Adde primò, quòd licet humilitas proprie sumpta importaret per se & expresse relationem inferioritatis ad alios, adhuc non requiritur ad peccatum superbiæ proprie dictæ relatio prælationis super alios: quia duplex affectus potest per se opponi præfato affectui humilitatis, videlicet affectus, quo quis non vult alteri superiori subdi, & affectus, quo vult alijs præferre, ita ut primus non includat pro formali secundum, sed quilibet ex illis opponitur directè humilitati, & sufficit ad peccatum superbiæ proprie dictæ. ¶ Adde secundò, quòd nulla est repugnantia, quòd in eodemmet actu coniungatur affectus, quo quis vult se alijs præferre, cum affectu quo vult Deo non subdi, ita tamen quòd repugnetur aliqua distinctio virtualis, & hic antecedat virtualiter alterum, Ex quo aperte colligitur, primum peccatum Angeli ex omni capite includere speciem superbiæ proprie dictæ.

Confirmatio, si aliquid valet, iam deserit propriam sententiam Scoti: cum ex ea inferatur, primum peccatum demonis non pertinere ad speciale vitium spiritualis luxuriæ seu philantia, sed ad aliud valde diversum, & directè oppositum charitati. Nihilominus respondetur, quòd amor sui, si est inordinatus, ex eo quòd includit affectum per se non se subijci Deo excellentiori, vel ex parte rei volitæ, vel ex parte modi volendi, non est directè & per se oppositus charitati: quia vitium directè oppositum charitati est odium Dei, si velle proximi, prout quis fingit illos sibi aduersari, aut expressè & per se constituit in se rationem vltimi finis, ideoque hoc vitium non tendit contra Deum, aut proximum vt Superiores. Porro primum peccatum Angeli non potuit in hoc odio consistere propter dictam num. 67. sed in appetitu propriæ excellentiæ cum abiectione per se regulæ à Deo præfixæ modo supra relato in quo consistit peccatum superbiæ proprie talis.

**76.** Vltimò arguitur: Nam peccator in quolibet peccato lethali vult non subijci Deo vt excellentiori; & tamen non in omni peccato lethali reperitur peccatum superbiæ proprie dictæ: ergo ex eo, quòd Angelus in primo suo peccato voluerit non se subijci Deo vt excellentiori, non inferat tale peccatum fuisse superbiæ proprie dictæ. Maior constat: nam in omni peccato lethali peccator avertitur à Deo vltimo fine, & sibi inhæret tanquam vltimo fini. ¶ Confirmatur: am velle non subijci regulæ superiori potius est peccatum inobedientiæ, quam superbiæ specialiter dictæ: ergo si prima inordi-

KK na



natio demonis fuit affectus se non subdendi Deo vt superiori, sequitur non fuisse peccatum superbie proprie dictæ, sed inobedientia.

Ad argumentum respondetur, quod in cæteris peccatis lethalibus aversio à Deo, & abiectionis subiectionis ad regulam ab eo præfixam se habet vt conditio generalis & per accidens; sed in peccato superbie per se: & hoc posteriori modo præfata abiectionis fuit in prima inordinatione demonis. Pro quo videatur Div. Thomas 2. 2. quæst. 162. art. 6. ¶ Ad confirmationem respondetur, quod velle non subijci divinæ legi pertinet ad duo vitia, ad superbiam scilicet, & ad inobedientiam. Aliter tamen, & aliter: nam ad inobedientiam pertinet per modum fugæ, quatenus lex divina habet formaliter rationem legis à Deo vt à supremo Legislatore dimanantis. Ad superbiam verò pertinet per modum prosecutionis, & quatenus lex divina non habet formaliter rationem legis, sed regulæ, dignitatis & excellentiæ respectu creaturæ, & à Deo vt excellentissimo, & singulari suas excellentias cum mensura distribuentis dimanantis. Angelus autem non potuit primò delinquere primo modo, sed posteriori, vt ex supra dictis constat.

§. IV.

Vnicum corollarium.

77 **E**X dictis inferitur, Angelum non potuisse, saltè secundum communem & regularem cursum, primò peccare alio peccato, quam peccato superbie. Ita Div. Thomas loco supra relato, vbi ait: *Vnde peccatum primum Angeli non potest esse aliud, quam superbia.* Et probatur ratione supra tacta, & nunc magis expensa: Nam primum peccatum Angeli debuit consistere in prosecutione alicuius boni spiritualis habentis rationem *ultimi finis*; sed affectus primus inordinatus Angeli erga bonum spirituale habentis rationem *ultimi finis* non potest esse nisi peccatum superbie: ergo Angelus non potuit peccare, de potentia saltè ordinaria, nisi peccato superbie. Consequentia est legitima. Minor est certa: nam prosecutio erga bonum spirituale habens rationem *ultimi finis* non potest esse inordinata, nisi per hoc quod superioris regula non servatur, in quo peccatum superbie consistit.

Maïor verò probatur quoad singulas partes: nam imprimis primum peccatum Angeli non potuit consistere in actu fugæ & nolitionis, vt satis ex supra dictis constat. Maxime: quia obiectum primi illius peccati debet esse finis ultimus; sed obiectum fugæ & nolitionis nequit habere rationem finis ultimi: siquidem est malum sub ratione mali, & malum sub ratione mali

nequit habere rationem finis ultimi, vt ex sequitur: ergo ex hac parte non potest non primum eius peccatum consistere in prosecutione.

78 Ob eandem rationem nequit esse peccatum omisionis. Tam, quia obiectum peccati omisionis nequit habere rationem ultimi finis. Tum etiam: quia si primum peccatum Angeli posset consistere in aliqua omisione, maxime in ea, qua Angelus diligeret suam beatitudinem naturalem non ordinando eam in supernaturalem; sed peccatum hoc est commissiois & non omisionis: siquidem est actus positivus inordinatus ex omisione alicuius circumstantiæ sibi debite, ad eum modum quo siquis celebraret sine vestibus sacris: ergo non potuit esse peccatum omisionis, sed commissiois.

Deinde, quod prædicta commissio non potuerit esse erga bona corporalia, ex dictis suadet: quia nullus afficitur, nisi ad id quod est consonum & proportionatum suæ naturæ; sed bona corporalia non sunt proportionata naturæ angelicæ, sicut neque bonum spirituale est proportionatum naturæ sensitivæ: ergo peccatum primum Angeli debuit consistere in affectu inordinato alicuius boni spiritualis.

79 Tandem, quod prædictum bonum debuit habere rationem ultimi finis, facile suadet: Nam primum, quod debuit Angelo occurrere in secundo instanti, in quo potuit peccare, tanquam id de quo deliberare debuit, non potuit esse aliquid medium, nec beatitudo in communi, sed ultimus finis in particulari, ita id exigente natura Angeli propter eius perfectionem & actualitatem: ergo primum peccatum Angeli debuit versari circa ultimum eius finem.

Explicatur hoc: Nam primum peccatum Angeli debuit consistere in actu primo libero; sed in actu primo libero Angeli prima inordinatio non potuit esse alia quam superbia: ergo primum peccatum Angeli non potuit esse aliud quam superbia. Maïor solam eget aequali expensione: etenim actus omnino primus Angeli fuit ille, quo dilexit suam excellentiam & beatitudinem naturalem: siquidem est actus necessarius tam quoad specificationem, quam quoad exercitium erga illam, & velut corollarium ipsius naturæ. Est tamen liber, vt ordinabilis per charitatem in finem supernaturalem: siquidem potuit elici cum ordinatione illius, vel cum eius privatione. Hinc fit, primum peccatum debuisse stare in primo illo actu.

Minor verò probatur: Nam prima inordinatio, qua in primo illo actu potuit reperiri, non potuit consistere, nisi in eo, quod prædicta excellentia diligeretur non terna mensura, & regula à superiore præfixa, nempe absque ordinatione in finem supernaturalem, quam Deus præcipit; sed dilectio propria excellentiæ, non servata mensura à superiore præfixa, est peccatum superbie, vt ex supra dictis liquet: ergo prima

ma inordinatio, qua potuit esse in primo actu libero Angeli, non potuit esse alia, quam superbia.

80 Sed obijciens primò: Angelus potest peccare erga bonum corporale: ergo nihil ei obest, quinominus primum eius peccatum sit circa bonum corporale. Antecedens probatur: Tum, quia demones per seipso: sic mittunt peccatum homicidij; sed hoc peccatum nequit esse erga rem spiritualem: ergo erga bonum corporale. Tum etiam: quia nominibus iudicantur peccata gula; & luxuria: ergo committunt idem peccatum secundum speciem, ac homines luxuriosi, & gulosi: ergo tendant ad bonum corporale vt tale. Patet: hæc vitia consequentia, & aliis peccatum illorum non esset eiusdem speciei.

Confirmatur: Nam in demonibus potuit esse ira, vt satis colligitur ex illo Apocalip. 12. *Vt terra & mari, quia descendit diabolus ad eos habens iram magnam.* Et ex illo Dionysio de Divin. nomin. vbi ait: *Dæmones furoris quendam irrationalem habere.* Et non incepte probatur ex D. Thomæ 2. quæst. 178. vbi ait: *Iram esse appetitum vitiosum, & habere rationem peccati, cum est inordinatus; sed Angelus potest inordinate appetere iunere vindictam de aliquo: ergo potest esse in eo ira inordinata.* Item in eo potuit esse avidia: siquidem hæc est tristitia generans tridium de rebus divinis; sed tridium & tristitia de rebus divinis potuit esse in demonibus: ergo potest in eis esse peccatum aviditiæ. Iam sic; sed præfata peccata possunt indifferenter terminari ad obiecta corporalia & spiritualia: ergo possunt delinquere erga obiecta corporalia.

Ad obiectionem respondetur, distinguendo antecedens: possunt peccare erga bonum corporale, inquantum conducit ad aliquem finem corporalem; nego: antecedens; inquantum conducit ad finem spiritualem, concedo: antecedens. Et ita contingit, dum demones occidunt homines, quia occidunt eos ex affectu ad aliquid spirituale, quod prius intendant; & ita primum eius peccatum non potuit esse homicidij. Per quod patet ad primam probationem. Ad secundam respondetur, quod demones, dum suadent hominibus peccata gula; & luxuria; non peccant ex affectu ad bona sensibilia, qua concernunt prædicta peccata, quia illis sunt inproportionata, & incompossibilia, sed tantum casualiter, vt tradit D. Thomas in præf. art. 2. & ex motivo aliquo spirituali, & ideo primum eius peccatum est circa bonum spirituale.

Ad confirmationem respondetur, quod in demonibus non potest esse ira proprie dicta: quia ira, vt inquit D. Thomas artic. 2. huius quæst. est cum quadam passione, sicut concupiscentia, que non habet locum in Angelis; ideo

que de illis tantum metaphoricè potest dici, & in hoc sensu exponi debent testimonio in obiectione relata. Sit dabo quod possit in eis esse ira proprie dicta; adhuc primum eius peccatum nequit in ea consistere, quia dicit nolitionem quãdam; & nostris debet supponere actum volitionis. Neque accidit proprie dicta: est in demonibus, quia, hæc absolute & simpliciter sumpta importat trititiam & tridium de rebus divinis propter laborem & fatigationem corporis. Et licet hæc possit in Angelis reperiri; adhuc primum peccatum demonis non potuit in ea consistere, propter rationem prædictam.

81 Ex quo inferitur, quod peccatum primum demonis non potuit esse hæresis, invideliarum, aut idololatriæ; quia hæc peccata specialiter important nolitionem peccatum primum Angeli debet consistere in hoc obiecto, ne obiecti ex se honesti & non in acta specialiter importante nolitionem. Quibus prædicta peccata non tendunt in obiectum ex se honestum, & ob hanc rationem debent supponere errorem in intellectu, qui non habet locum in Angelo ante suum primum peccatum; vt infra dicemus. Quibus rationibus primum peccatum demonis inquit esse iniustitia. Dubium tamen est, an possit esse præsumptionis, inanis gloriæ, & ambitionis? Sed hoc dubium facile dispellitur dicendo, quod omnia hæc vel sunt actus superbie proprie dictæ, vel procedunt radicaliter ex illa, vt docet D. Thomas 2. 2. quæst. 170. & articulis, in quibus de his specialiter disserit.

¶ **D**UBIUM VI.

Quodnam fuerit obiectum excellentiæ, circa quod Angelus primò superbiit. **E**xplicata iam specie omnino primæ peccati demonis, superbie, vt obiectum, circa quod primò deliquit, stabiliamus. In qua controversia reverè gravissima adeo divisi sunt Auctores, vt notè servent sententiæ, quot capita. Nam aliqui dicunt obiectum excellentiæ, circa quod Angelus primò superbiit, fuisse omnimodam æqualitatem cum Deo in seipso. Ita Mai. in 2. dist. 6. cap. 2. plus, resque Scotiæ, in quam videtur Vazquez inclinare dist. 234. Quibus aggregari possunt Auctores asserentes Angelum in primo suo peccato potuisse appetere huiusmodi æqualitatem cum Deo. Ita Scotus in 2. dist. 6. quæst. 1. cum omnibus suis discipulis, qui suffragantur plures Recentiores ex Societate. Alij contenti obiectum superbie fuisse unionem hypostaticam, vel quia eam vt sibi beatam, & naturæ suæ, viribus acquirendam appetij; vel quia eam homini invidit, vel quia Christo tanquam proprio